

30

DECISIO CONGRESSUS SIGNATURAE APOSTOLICAE

De collatione Beneficiorum

(6 decembris 1973)

FACTI SPECIES. 1. - In ecclesia cathedrali L. adest *Associatio* Beneficiorum vulgo «Unión Laical de Beneficiados de la Santa Iglesia Catedral de L.» nuncupata, 16 membris constans, cui omnia bona inscripta sunt, quaeque iure civili hispanico, uti persona iuridica agnoscitur. Nonnulla beneficia libere conferuntur; alia vero, immo maior pars, sunt iuris patronatus seu praesentationis.

Exstant, praeterea, in illa ecclesia cathedrali aliae duae *Corporationes* Beneficiorum, quarum prima 16 complectitur Canonicos seu Capitulares, altera vero 12 constat Beneficiariis iuxta Concordatum. Unde ecclesiae cathedrali L. 48 sacerdotes adscripti sunt.

Finis principalis beneficiorum supradictae Associationis est servitium liturgicum in ecclesiae cathedrali praestandum; de facto, tamen, Beneficiati Associationis, qui lautos percipiunt fructus, nullum praestant servitium utile aut necessarium, quia omnia rite expediuntur a Canonicis et Beneficiariis Corporationum, qui exiguos percipiunt redditus.

Quam ob rem Episcopus L. in precibus die 29 maii 1970 ad Sedem Apostolicam porrectis, expostulabat ut Congregatio pro Clericis:

«a) Suprima el derecho de Patronato, o por lo menos el derecho de presentación, a todos y a cada uno de los Beneficios que constituyen la Unión Laical»;

« b) Que entre tanto, declare por lo menos suspendido el derecho de presentar para los beneficios que quedaren vacantes para el futuro, hasta que no se haya regulado debidamente cuanto concierne a la distribución de las rentas y se haya resuelto la consulta a las Conferencias Episcopales acerca de los Cabildos ».

2. - S. Congregatio pro Clericis « Collationem beneficiorum quae ad Associationem vulgo "Unión Laical" pertinent quaeque quolibet titulo vacant vel in futuro vacabunt, ob rationes indolis pastoralis praesenti Decreto (26 Ianuarii 1973) suspendit, conferens Episcopo L. facultatem collationem beneficiorum differendi donec aliter providebitur; atque insimul iubet ut, ad finem de quo in M.P. *Ecclesiae Sanctae* ut supra consequendum, redditus beneficiorum vacantium a praefata Unione Episcopo pro tempore L. integri tradantur, praescriptis canonis 1481 C.I.C. aut quibuslibet statutis particularibus minime obstantibus ».

At Beneficarii Unionis, per suum legitimum Patronum et Procuratorem recursum interposuerunt ad Sectionem Alteram Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae adversus praedictum Decretum Sacrae Congregationis ob legum canonicarum violationem. Equidem, praedictum Decretum violat privilegium patronorum praesentandi clericum (can. 1455, 1°); violat ius clerici praesentati a patrono ad canonicam institutionem (can. 1466, § 1); violat praescriptum can. 1481 et iura legitima beneficiorum. Id autem S. Congr. pro Clericis non potest propria auctoritate facere; ex altera parte non constat ipsam facultatem specialem habuisse a Summo Pontifice, vel Decretum ab Ipso confirmatum esse.

Ideo, concludit Patronus, decretum est invalidum et ut tale declarari debet. Praeterea petit ut interim decreti executio suspendatur ob allatas rationes.

IN IURE ET IN FACTO. 3. - Provisionem beneficiorum associationis « Unión Laical » quod attinet, prae oculis haberi debet praescriptum M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 18, § 1: « Privilegia non onerosa personis physicis vel moralibus hucusque forte concessa, quae ius electionis, nominationis vel praesentationis pro quocumque officio vel beneficio non consistoriali vacanti secumferunt, *abrogantur* »; et § 2 addit: « Si tamen iura et privilegia in hac materia constituta fuerint vi conventionis inter Apostolicam Sedem et Nationem aut vi contractus cum

personis sive physicis sive moralibus initi, de illorum cessatione cum iis, quorum interest, agendum est ».

Quam ob rem, si privilegia in casu non sunt onerosa, iam abrogata sunt et patroni ius praesentationis amiserunt. E contra, si sunt onerosa, integra quidem manent et de eorum cessatione cum patronis agendum est; sed interim Congregatio pro Clericis, Conferentia Episcopalis et Episcopus dioecesanus possunt suspendere exercitium privilegii, quoties suspensio est necessaria ut valeant disponere de redditibus beneficiorum vacantium ad normam iuris. Ergo, in hoc altero casu Congregatio pro Clericis non suppressit privilegium patronorum praesentandi clericum ad beneficium vacans, sed suspendit exercitium; haec vero suspensio, ex iusta causa facta, non violat ius seu privilegium praesentandi, et a fortiori non potest violare ius clericorum qui fortasse expectant ut praesententur ad beneficia vacantia.

4. - Re quidem vera, M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 8 dicit: « Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo committitur reformatio systematis beneficialis. *Interim* curent Episcopi, suis auditis Consilii presbyterorum, ut provideatur *aequae distributioni bonorum, etiam reddituum ex beneficiis provenientium* ». Equidem, « remuneratio clericis tribuenda praecipue eadem requiritur pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus, ratione quidem habita tum ipsius muneris naturae, tum temporum locorumque conditionum ». Et Decretum *Presbyterorum ordinis*, n. 20, addit: « Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, digni sunt Presbyteri qui aequam recipiant remunerationem... Episcopi autem curare debent ... ut normae instituantur, quibus debite consulatur honestae sustentationi eorum qui in Populi Dei servitium aliquo munere funguntur vel functi sunt. Remuneratio autem ab unoquoque percipienda, ratione quidem habita tum ipsius muneris naturae tum locorum temporumque conditionum *fundamentaliter eadem sit pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus* ».

Logice sequitur quod nec Congregatio pro Clericis, nec Conferentiae episcopales vel Episcopi dioecesani expectare debeant exitum tractationum cum patronis vel reformationis systematis beneficialis; sed ex nunc possunt et debent normis ordinare distributionem reddituum etiam ex beneficiis provenientium, ita ut omnes sacerdotes aequam habeant remunerationem, ratione habita ipsius muneris naturae, etc.; utcumque, remuneratio fundamentaliter eadem esse debet pro omnibus in iisdem adiunctis versantibus.

5. - Decretum ergo Congregationis pro Clericis applicat in casu principia a Concilio Vaticano II et a Summo Pontifice statuta. Ex una parte finis principalis beneficiorum associationis « Unión Laical » est servitium liturgicum in ecclesia cathedrali praestandum; beneficiarii autem dictae associationis nullum praestant servitium, licet lautos recipiant fructus seu stipendium annuum: alius 280.928,84 peset., alius 178.780,46 peset. et decem 221.424,93 peset. Ex altera parte servitium in ecclesia cathedrali praestant canonici et beneficiarii Corporationum, qui tamen percipiunt stipendium annuum 44.323,32 peset.

Unde, in casu non habetur aequa distributio reddituum ex beneficiis provenientium; non habetur eadem remuneratio pro omnibus clericis qui in iisdem versantur conditionibus; iniuste beneficiarii associationis « Unión Laical » percipiunt redditus, quia nullum praestant servitium liturgicum. Merito igitur Congregatio pro Clericis iubet ut redditus beneficiorum vacantium illius associationis integri tradantur Episcopo dioecesano, qui non debet servare praescriptum can. 1481 aut statutorum particularium, sed praescripta Vaticani II et Summi Pontificis.

6. - Petit recurrentium patronus ut suspendatur Decreti executio. *Normae Speciales*, art. 108, hac de re haec habent: « Recursui adnecti potest instantia, allatis motivis gravibus vel documentis quibus innitur, ad obtinendam suspensionem executionis actus impugnati ». At patronus perperam putat motiva gravia esse allatas rationes de violatione legum et de nullitate Decreti; ideo instantia pro suspensione executionis impugnatae decisionis a limine videtur reicienda.

DECISIO. - In Congressu die 6 decembris 1973 habito coram Em.mo Cardinali Praefecto, proposito recurso a Beneficiatis Associationis cui nomen « Unión laical de la Santa Iglesia Catedral de L. », die 27 martii 1973 interposito adversus decisionem Sacrae Congregationis pro Clericis diei 23 ianuarii 1973, recurrentibus notificatam die 5 martii 1973, decretum est:

Recursum esse reiciendum, utpote manifeste fundamento carentem. Suspensionem autem impugnati decreti, in casu, concedendam non esse.